



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Dominicâ tertiâ Adventus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

omnibus religiosis? Recensitu faciles sunt. Nonne familiis omnibus præcipuis? Nonne domibus omnibus privatis? Ubi fundamenta vitæ nostræ, à matribus nostris D. Virgini commendatæ, quando primùm concepti fuimus? Ubi fundamenta infantia? Ubi annorum: ubi dierum singulorum, nonne à D.V. invocatione? O Virgo, *Gloriosa dicta sunt de te in Ecclesia: memor esto etiam Rahab: & fac ut omnium nostrum de tua Conceptione, & beatâ nostrâ spe latantium, sit habitatio in te.*

## DOMINICA III. ADVENTUS.

**T**HEMA. *Vox clamantis.* Joan. I.

Recitato Evangelio, & post Angelicam Salutationem.

Obvium cuique est, quo sensu Joannes potuerit dicere se vocem clamantis. Erat vox Verbi Divini: Vox gratiæ: Vox boni exempli: Vox clamans, ut singuli secundùm statum suum viverent &c. O vocem argenteam, claram, penetrantem, non aures, sed corda! O si tales modo voces audiremus? Quid, quæso faceretur? Pœniteret vos peccatorum? Restitueretur ablata? Deo in omnibus obediretis? Contenti essetis stipendiis donorum, & beneficiorum, quæ dat Deus singulis prout vult? Hæccine faceretur, si una vobis insonaret vox clamantis Joannis? Atqui non unam quotidie, sed centena millia auditis: totidem, quot sunt  
 O creatu-

creaturæ. Estné creatura ulla, quæ non fit vox Verbi, per Verbum facta, ad Verbum ut finem? Estné ulla, quæ non possit sano sensu appellari Joannes, id est Gratia Dei? Tum quia gratiâ Dei est, id quod est: tum quia in hominis gratiam producta, qui ideò ultimo loco productus est, ut in mundum induceretur, velut convivæ aut spectatores ad convivium & ludum antè præparatum, ut advertit Philo libro de mundi opificio. Estné creatura, quæ nobis non inclamet verba Bernardi, *Accipe* seu utere, *Redde* gratias Deo, *cave* abutaris: tria puncta, & unum exemplum? Estné ulla, quæ nobis facturâ suâ, & exemplo, non commendet illa, quò Sermones Joannis omnes spectabant, à Deo regi omnia, & nos ab eodem regi debere? Audivimus quidem eas voces, cùm primùm tractatûs hujus fundamentum jaceremus: vociferati sunt nobis simul tres mundi: Sed nunc exactiùs & distinctiùs iisdem auscultemus. Pertexantur cætera sectionis I. in parte I. à numero 10. ad finem usque.

### FERIIS HEBDOMADÆ III.

**Q**UOD supererit Officium Bonæ Voluntatis, absolvatur: Dein transeat ad Adjumenta, quo ordine ac modo exposita sunt. Thema pro primo erit, *Gloria in excelsis Deo*: itidem pro secundo, quia ex comparatione Providentiæ humanæ, magis elucet gloria Divinæ.  
Pro